

dicit vidisse consilium in libro communis, & in registro, insuper de auditu canonicorum, & ministri dictæ Ecclesiæ dicit, quod Presbiter, seu minister dictæ Ecclesiæ non audebat pulsare terciam, nonam, neque vespervas, nisi primitus pulsabatur campana de Dommo.

Item Ubertus de Ponte dicit cum erat clericus Ecclesiæ S. Johannis, & stabat cum D. Presbitero Guibaro dicit, quod ibat ille ad baptizandum, & ad festa principalia. Ego Salvinus Not. communis Aquis &c.

(1) Hic adde V.: erat enim eo anno indictio XV. Utrum autem hic error meus sit, an chartæ archivii capitularis, a quo eam exscripsi, ob longam temporis interapedinem vix bene memini.

Exceptio in lite coram delegato Archiepiscopo Mediolanensi.

235

M C C L X X I I I.

Anno Domini MCCLXXIII. In claustris S. Mariæ de Castello coram D. Amico præposito S. Mariæ de Castello dicente se delegato Archiepiscopi Mediolanensis, præsentibus Murro de Puteo Patre Petrini volentis sibi conferri præbendam in Ecclesia S. Quirici de Castro novo, D. Henricus præpositus dictæ Ecclesiæ dicit se non consentire in dictum delegatum, quod civitas Alexandrina non est ipsi locus tutus, neque suis nunciis, neque accessus ad illam civitatem, cum sit valde periculosus propter discrimina viarum, & guerrarum Marchionis Montisferrati, & Berruariorum hostiles incurfus. Gonsfredus de Montaldo Not. &c.

Irritatio possessionis captæ cujusdam canonicatus, & in eum alterius immissio facta a Baudicione Electo Aquis.

236

M C C L X X V I.

Anno Domini MCCLXXVI., indictione IV., die Veneris VII. augusti, in castro Bestagno inter nonam, & vespervas præsentibus D. Petro Presbitero Bestagni, Johanne filio Petri Enhovi de Aquis, Vilelmo Moturæ testibus rogatis, & vocatis nos Baudicio Aquis electus. . . electionem Oberti Marescarchi de Alexandria, qui dicit se canonicum Ecclesiæ S. Mariæ de Aquis per litteras D. PP. . . nos visis litteris cancellatis, & intellectas ipsas falsas pronunciamus, & penitus irritamus, quatenus de facto possidet, & non de jure; & ideo timentes ne nobis tempus curreret, quum electio sit nobis devoluta, ipso jure volentes prædictam Ecclesiam Aquisensem providere de canonico, ne in temporalibus, & spiritualibus detrimentum prædicta Ecclesia patiatur Franceschinum filii Gullielmi de Miribello clericum Ecclesiæ Sancti Martini de Orzaria Aquisensis diocesis eligimus, five postulamus in canonicum, & in fratrem Ecclesiæ memoratæ: ibidem, & coram testibus suprascriptis D. Ubertus de Motura Archidiaconus prædictæ Ecclesiæ Aquisensis prædictum Franceschinum recepit in osculo pacis in canonicum, & in fratrem Ecclesiæ memoratæ, & inde prædictus D. Electus, & prædictus Archidiaconus hanc

cartam fieri præceperunt, & voluerunt concessa mihi Notario infra scripto licentia ab eisdem, & retinendo in me quod possim reficere, meliorare præsens instrumentum semel, & pluries cum consilio unius sapientis, vel plurium; & ego Ogerius Barete Notarius Palatinus jussu Domini Electi, & Archidiaconi scripsi.

Absolutio ab excommunicatione inflicta a delegatis Archiepisc. Mediolanen. occasione subsidii Terræ sanctæ.

M C C L X X V I I.

237

In Christi nomine. Anno Domini MCCLXXVII. indictione V., die lunæ prima novembris, in caminata D. Uberti Aquisensis Archidiaconi, præsentibus D. Bertolino Baudezono, Gulliello Murturæ, & Canturro Baudezono testibus rogatis, & vocatis. Nos fr. Bencius de Gualchis Guardianus fratrum Minorum de Aquis ex auctoritate sibi tradita, & concessa a R. P. D. Othone sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo, ut constat per litteras ipsius Domini Archiepiscopi sigillatas sigillo sano, & integro, tenor quarum litterarum sic inscripsit. Omnipotentis Dei, & Apostolicæ Sedis gratia sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus religioso viro Guardiano fratrum Minorum de Aquis salutem, & sinceram in Deo charitatem. Volens adimplere mandatum Domini Archiepiscopi auctoritate dictarum litterarum, qua fungebatur secundum formam Ecclesiæ, D. Ubertum Aquisensem Archidiaconum a quadam sententia excommunicationis in eum lata per D. P. Abbatem sanctæ Juliae, & Henricum præpositum de Bublico delegatis prædicti Domini Archiepiscopi prout dicebatur, quod libros, & scripturas collectæ decimæ pro subsidio terræ sanctæ ad eos non transmisit, ab excommunicatione hujusmodi liberavit, & absoluit &c. Ego Dardanelius Not. S. P. &c.

Confirmatio Jurisdictionis, quam Alexandrini in suam civitatem concesserant D. Gulliello marchioni Montisfer, atque extensio ejusdem ad quosdam casus.

M C C L X X X.

238

Anno Dominicæ Nativitatis MCCLXXX., ind. VIII., die Veneris XXVI. mensis januarii, in palatio novo communis Alexandriæ in pleno, & generali consilio campana, & voce præconum more solito congregato. D. Nicolaus Bastardus de Monteferrato potestas, & capitaneus communis, & populi Alexandriæ super infra scriptis consilium postulavit. I. Cum per dictum capitaneum, & ancianos, & sapientes, & consilium generale populi Alexandriæ statutum, firmatum, & stabilitum sit, quod D. Gulielmus marchio Montisferrati habeat plenam, liberam, & generalem bailiam auctoritatem, & potestatem faciendi, ordinandi, & præcipiendi ad suum liberum, & plenum arbitrium, & voluntatem de factis, & super factis, & negotiis, & juribus, & rebus communis, & hominum Alexandriæ ad hoc, ut homines communis, & populus Alexandriæ in